



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CLVII. Differentia 28. Iure civili, si accusator non probet, reus absolvitur,
quamvis nihil præstiterit,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Iure civili, si accusator non probet, reus absolvitur, quamvis nihil præstiterit, *l. qui accusare C. de eden.* Iure Canonico autem reo, qui infamia laborat, purgatio indicitur, & si defecerit, ut convictus puniatur *c. Accusator. 6. 2. 5. c. Tua nos. De cohab. cleric. & tt. De purgat. Can. Bartol. 81.*

I. Antonini imper. lex est. Qui accusare volunt, probationes habere debent: cum neq; iuris, neq; ætatis ratio permittat, ut alienorum instrumentorum inspiciendorum potestas fieri debeat. Actore enim non probante qui convenitur, etsi nihil ipse præstat, obtinebit. In eundem sensum *c. Accusator. 6. Q. 5.* Accusator, quod asseverat, probare se non posse profitendo reum necessitate monstrandi contrarium non astringit, cum per rerum naturam factum negantis nulla probatio sit. Idem asseritur in *c. Cum. Ecclesia Sutrina. De caus. poss. & propr.* Vbi Barb. plures DD. allegat. Et vulgatam regulam vocat. *Hypol. de Marfil. singulari. 169.* quæq; intelligenda sit, de absolutione definitiva. *Gloss. in Auth. Qui semel. C. quò & quando index. in V. quod locum.*

II, Sed in multis fallere *Gloss. annotau. in c. Vt nostrum. Vt eccl. benef. sine dimin. confer.* Ac Primò ratione præsumptionis aliquando onus probandi in reum transfertur. Secundò fallit, cum actor fundavit, actionem suam in iure communi. *cap. contra morem. Diss. 100. cap.*

omne basilica. 16. Q. 7. & lib. sive possidetis C. de probat. Terriò, quando reus sponte sibi sumit onus probandi. *c. circa. ff. De probat. Quartò* in communibus iudicijs utriusq; probatio auditur *c. ex litte. de probat. Quintò,* cum uterq; dicit se possidere. *c. licet de probat. & l. in trius. ff. De iudic. Sextò,* in crimine falsi utriusque testes audiuntur *l. vbi. C. de fals. Septimò,* in crimine læsæ maiestatis in Sacramentis desertis, in prodicione patriæ, & in crimine peculatus utriusq; testes audiuntur. *l. fallaciter. C. de abolit.* Deniq; privilegium actoris transfert onus probandi in reum: ut si mulier, aut pupillus repetat solutum tanquam indebitum, reus probare debitum tenetur *l. cum de indebito. ff. De probat.*

* * *